

ANGINA.

783. Impedita valde, dolens admodum,
vel & impedita & dolens simul
Deglutitio, atque Respiratio, quae con-
tingit a causa morbosa agente in partes bi-
nis his functionibus inservientes, supra pul-
mones, & supra stomachum positas, An-
gina vocatur

784. Cujus duplex observatur species;
prima sine ullo signo tumoris externi, in-
ternive apparet; altera vero cum aliquo
tumore in aliqua parte organorum descrip-
torum, (783.) deprehenditur semper.

785. Illa prior in fine morborum diu-
turnorum, maxime post ingentes & saepe
repetitas evacuationes, contingit; pallo-
rem faucium, siccitatem harum, tenuita-
tem simul, comites habet; quare nervos
& musculos resolutos plerumque habet; fe-
re semper est signum imminentis mortis;
raro curatur, & tum tantum remediis re-
plentibus vaia vacua bono succo vitali, ca-
lefientibus, corroborantibus.

786. Eadem prior species aliquando ori-
tur subito sine signis manifestis praegressis
ullius morbi; vix capit medelam; & fere
semper, post mortem, suppuratum pulmo-
nem demonstrat.

787. Quae cum tumore accidit varia nomina accipit, vel a natura tumoris, vel a loco per tumorem occupato. Hinc est oedematoso, catarrhoso, inflammatoria, purulenta, scirrhosa, cancrosa, convulsiva, Angina.

788. Occupant hi tumores (787.) linguam, ejus musculos; palatum, tonsillas; uvulam, hujus musculos; cava ossium frontis, maxillae superioris, ossis sphenoidis, enato & ibi radicato polypo increscente, nares obturante, palatum deprimente pendulum, fauces angustante, pharyngem, laryngemque occludente; musculos ossis hyoidis omnes, vel aliquos; musculos laryngis externos, internos, communes proprios; asperae arteriae membranam interiorem muscularum; pharyngis musculos superiores, & oesophagaeum; ipsum oesophagi musculum; glandulas asperae arteriae & oesophago ita vicinas, ut hae fistulae ab iis tumentibus comprimi queant, ut sunt salivales omnes, tum vagae circa haec loca, ac tandem ipsae Thyroideae.

789. Ex qua historia (785. ad 789.) perspecta apparet ratio tam multiplicis, improvisi, & funesti saepe eventus, hujus mali (783.)

790. Quum vero tam varius ille morbus sit,

sit, tam varium effectum producat; variaque adeo remedia & artem medendi postulet, quantum brevitas hic necessaria permittit, eum recenseri necesse est.

ANGINA AQUOSA.

791. **A**ngina aquosa, oedematosa, catarrhoa tenuis, est impedita, vel dolens respirandi, vel deglutiendi exercitatio, cum tumore lymphatico partium, quibus illa fit, vel vicinarum.

792. Habet ergo, ut caeterae aquosae colluvies, sedem in parte glandularum, ubi reconditur atque excernitur secreta arteriis lymphs.

793. Ergo pro causa agnoscit quidquid exitum liberum lymphae impedit: eorum vero est numerus ingens, & diversitas. Compressio venarum quaecunque, in quas forte earum glandularum emissaria se evacuant: obstructio nata in ipso folliculo glandulae a gypso, pituita, lapide, fungo, & similibus ibidem enatis; obstructio facta in ipsis emissariis a causis ei dem compressio eorumdem locorum; frigus finibus excretiorum meatuum applicatum; debilior humorum circumactio.

794. Effectus talis mali sunt, tumor aquosus, albus, frigidus; vicinorum compres-

M 2 pres-